



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

6. Cur populus famis ac belli pœnam magis sensisset?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Elegit ergo pestem David. 1. Quia ex parte Dei, hoc pacto misericordiam speravit. 2. Quia ex parte hominum timuit accessurum multum crudelitatis. 3. Quia sic etiam se ipsum poenae offerebat; ut qui peccasset, etiam in se ipso puniretur. Si famem, si bellum elegerit, murmurasset utique populus, dixissetque:

*Quidquid committunt reges, plectuntur Achivi.*

Famem enim non tam reges, quam populi patiuntur. Reges abundant frumento, distenta habent horrea; granaria plena servant, cellariaque in multos annos. Vel si vastentur agri in illorum regnis, tamen illis suppetunt pecuniae, & modi, aliunde alimenta aduehendi, sicut olim Iacob, in fame, frumentum ex Aegypto accersit. At populo & fruges desunt, & pecuniae. Itaque plebe famente, & ad ultimum usque exitium emaciata, reliqui Principes, alijque nummati domini, possunt conuiuia instituire, dapibus satiari, delicijs saginari, vino inebriari; & saepe, in ipsa fame extrema, nesciunt, quid sit fames, quam non sentiunt. Vnde merito populus illud malum tanto impatientius tolerat, quia videt magis reos, minus pati; dum dicit quisque apud se, *Quanti peccatores abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* Quid si autem David hostium periectionem elegerit? itidem locum querendi reliquisset populo: ipse enim cum viris fortissimis vel intra vrbes & loca munitiora se recipere, vel se se saltem proliando defendere potuisset, & non in prima acie stare. Tunc enim, eo post initia latente, soli a fronte pugnantes cecidissent; ipse, amissa victoria, cum reliquis fuga se se seruasset. Elegit igitur pestem, a qua dominante neminem vel locus, vel dignitas, vel sceptrum & corona defendit. Hac regnante, communis omnium fors est,

*Mista senum ac iuuenum desentur funera: nullum  
Sana caput Proserpina fugit.*

Horat. lib. I.  
Carm. 4.

4. Elegit hanc plagam David, quia tametsi vnus annus dirae pestis grauior est, quam vnus annus famis, aut hostis; attamen sicut pestis excedit hostes, & hostes excedunt famem magnitudine poenae atque atrocitate, ita, ut poenae inter se se aequarentur, tempora poenae inaequaliter inter se se fuerunt a iustissimo iudice Deo assignata. Itaque tempora famis maiora, quam

P

tempora

VI.

Gen. 42. 1.

Luc. 15. 17.

VII.